In ijs locis, vbi fuerint Epiſcopi, niſi ipſi diſpenſare nolint: aut incommodum aliquod euenturum credatur, ſi ij, cum quibus diſpenſandum videtur, ad Epiſcopos pro diſpenſatio ie recurrant. Hęc ille.

Quem ſequutus Doctiſſimus Pater Alfonſus à Veracruce hanc conceſſionem magnam eſſe aſſerit, & nunquam alias datam. A que ita eodem fere modo in ſuo Compendio.ver. Diſpenſare, poſt concluſionem. 9. refert. Sed re vera[vt conſtat ex literis Gregorij. 13. & confirmatione Gregorij. 14.] ad ſolos Neophytos extenditur eiuſmodi diſpenſandi facultas ſuper voto caſtitatis, his verbis. Per alias vero literas die. 4. Nouembris milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi noni Pontificatus ſui anno.8. eidem Generali, a iiſque per ipſum ex dicta Societate deputandis, vt cum Neophytis, aliiſque ad fidem reductis ex rationabili & legitima cauſa ſuper voto caſtitatis non tamen ſolemni diſpēſandi. Ex quibus verbis mani feſtum apparet confeſſores Ordinum Mendicantium per hanc facultatem diſpenſare non poſſe cum quibuſuis perſonis ſuper voto caſtitatis: ſed tantum cum Neophytis & recenter ad fidem conuerſis.